mandatis euangelicis ſe ſubmittunt ſed ſuas exercent pro libitu voluntates. ſine dubio talibus dñs perſtringit viam ad domū ſuaȝ dicēs niſi abundauerit. Tertij ſunt qui ſancto ⁊ ſimplici ꝓpoſito ex deuotione ſtudent ſe conſilijs euangelicis q̄ʒtum poſſunt dei adiutorio ꝯformare. non reputantes ſe perfectos ſed ꝑfectionem attingere in ſpū humilitatis cupientes. hi ꝑfecto ſi non omnia que perfectionis ſunt impleant credo hac ſentētia dñi eos non percelli quinimo ſtudio ſuper erogationis eos in retributione a domino ꝑmiari. Ideo de illis qui ſibi ſtatū vendicauerūt perfectionis nec in eo vt debuiſſent tenuerunt. patet quomodo a regno celorum iuxta v̄bum dñi excludunt̄. hi autem qui in ſimplicitate vixerunt quomodo ad regnum celoꝝ perducuntur. patet in vitaſpa. vbi legitur. Quidam frater in heremo querēs videre exitum anime iuſti ⁊ peccatoris diuino nutu lupo duce venit ante quandā ciuitatē vbi erat monaſterium in quo erat quidam ſolitarius habens magne perfectionis nomen qui iacebat īfirmus expectās horaȝ mortis ſue. frater ille vidit multam ꝑparationem fieri cereorum ⁊ lampadaꝝ ꝓpter ſolitarium illum q̄ tāte reputationis habebat̄ q̄ſi per ipm̄ dominus ſaluaret ciuitatem ⁊ eo moriente omnes ꝑituri eſſent. facta autem hora exitus ipſius vidit frater ille tartareum quendam inferni deſcendentem ꝓpter ſolitarium illum habētez tridētem igneum. Et audiuit vocem dicentē ſibi q̄ſi a deo. Sicut aīa iſta nō ꝑmiſit me ī ſe quieſcere vna hora. Sic nec tu miſeriaris eiꝰ euellēs animam. Ponens ergo tartareus ille tridentem in corde ſolitarij et per multas horas torquens eum abſtraxit animam eius. Poſt hoc ingreſſus ille frater ciuitatem inuenit hominē ꝑegrinum iacentē egrotum non habentē q̄ eiꝰ curam haberet ⁊ manſit cuȝ eo vno die. Et cū veniſſet hora ſui exitꝰ vidit frater angelos gabrielem michalem. vnum a dextris. ⁊ alium a ſiniſtris infirmi. rogabantq̧ animā infirmi vt egrederetur ⁊ nō exibat quaſi nolens derelinquere corpus ſuum. dixitq̧ Gabriel ad michaelem. Aſſume tibi animā iſtaȝ iam eamus. Cui Michael. iuſſi ſumus a domino vt ſine dolore eijciatur. ideoq̧ non poſſumus cum violentia eam euellere. Exclamauit ḡ voce magna Michael dicens. Domine q̄d vis ꝺ anima hac q̄ non acquieſcit nobis vt egrediatur? Tunq̧ deſcendiſſent omnes angeli in circūitu anime illius cum canticis et hymnis venit vox dicens. Ecce mitto Dauid cum cythara ⁊ omnes pſallentes vt audiens vocem ipſorum egrediatur anima iuſti huius. Cum autez deſcendiſſent cū cytharis et cymbalis cantum angeloꝝ concinentes ſancta anima cuȝ gaudio exiliens ſedit in manibus ſancti Michaelis. ⁊ aſſumpta eſt cum gaudio magno in celum. Ecce quomodo anima illius ſolitarij qui perfectiſſimus ī opinione hominum reputabatur. quia non abundauit iuſticia eius vt debuit. ideo a regno celorum excluſa tartareis tortoribus tradita fuit. Anima vero ſimplicis peregrini cui pro ſtatu ſuo ſuffecit iuſticia ſua ad regnum celorum cū magna deducta fuit leticia. Quod et nobis ꝑſtare dignetur.

Dominica ſexta poſt trinitatis. Sermo tertius.

Audiſtis quia dictum eſt antiquis non occides. q̄ autē occiderit reus erit iudicio. ego aūt dico vob. oīs qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio. Matth. v. Olla cum in ſe ē plena A aqua ⁊ in ſe aliquid habeat non emittit. ſed in ſe claudit ⁊ cuſtodit. Si autē ad ignem ponat̄ ⁊ feruere incipit q̄cquid intus latuit etiam minimum ſurſum mittit ⁊ ſi que feces in fundo latebant ſupernatant. ⁊ ſimul pinguedo cuȝ fecibus exalant. Moraliter per ollam intellige hominē ꝓpter materiam. quia ſicut olla fit de terra ſic ⁊ homo. Iuxta illud Eccl̄s. iij. Homines de terra facti ſunt ⁊ in terram ꝑiter reuertunt̄. Ideo dicit apoſtolus. j. Cori. xv. Homo ꝓ̀mus de terra terrenus. Per aquā aūt intellige dona ſpūſſancti. Iuxta illud Ioh. vij. Qui credit in me flumina de ventre eius fluēt aque viue. quia de memoria credentis ꝓcedent dona ſpūſſancti. Sed ꝑ ignem ītelligitur inuidia ira Iuxta illud ps̄. lvij. Supcecidit ignis ⁊ nō viderunt ſolem. Modo ad ꝓpoſitum quando homo ad inſtar olle eſt plenus aquis videlicet donoꝝ ſpūſſancti tūc nō emittit a cordis fundo q̄cquid ſit malum de ꝓximo ſuo. Sȝ ſtatim cuȝ poſitus fuerit ad ignem ire accēdit̄. Quia ira eſt accenſio ſanguinis circa cor. iiij. Ethi. Tunc ſtatim quid ſcit mali vel infamie ꝓximi totum ore ꝓfert q̄ʒtumcunq̧ illud ſit nociuum ⁊ omnes feces et blaſphemias et iniurias que tempe quietis tacebat in corde non ſolum ore ſed omnibus membris ira durante pandit. Et ſicut etiam olla feruens cum fecibꝰ ſimul emittit pinguedinē. Sicq̧ homo iracundus ſimul cum veris falſa emittit ꝓdit ſiue promit. Ideo dixit Iob. xl. De naribꝰ eius procedit fumus ſicut olle ſuccenſe. ⁊ quid per fumum qui ledit oculos hominum niſi verba turpia ⁊ blaſphe-

nie que ꝓferunt irati deſignantur que ledunt tam ꝓferentem ꝙ̄ audientē ꝙ̄ etiā illum cui ea ꝓfert. ideo dominus in pn̄ti euangelio ꝓhibet iram cordis ⁊ oris cū dicit dn̄s. q̄ iraſcitur ⁊c̄.
In verbis ꝓpoſitis breuiter per ordinem tria tangūtur. pmo imperfectio phariſeoꝝ ibi. audiſtis quia dictū eſt antiquis. ſecundo punitio iracundoꝝ ibi. ego autem dico. tertio ſatiſfactio iniuriatoꝝ ibi. ſi offers munus tuum. Cir
B ca pmū dicit. audiſtis. quia dictum eſt antiq̄s videlicet. Exo. xx. Non occides. in quo q̄dem mandato ꝓhibitionis omne homicidiū ꝓhibetur. Ubi nota homicidiuꝫ eſt duplex. corporale et ſpūale. Corporale cōmittitur tripliciter. voluntate ore et opere. Uoluntate cōmittitur homicidium tribus modis. Primo ad morteꝫ odiendo. Exemplum de fratribus Joſeph qui oderant euꝫ nec poterant quicq̄ ei pacifice loqui Gen̄. xxxvij. Nam qui odit fratrem ſuum homicida eſt. j. Joh̄. iij. Et ratio eſt quia ille q̄ odit ꝓximum occidit animā ſuam. quia homo per maliciam occidit animā ſuam. Sap̄. xvj. ⁊ pſ̄. xxxvj. Gladius eoꝝ intret in corda ipſoꝝ vbi dicit Aug⁹. Qui alteri nocere deſiderat ſimilis ē illi q̄ gladio ſe tranſuerberat vt tunicā alterius rapiat. Deinde occidit ſpūaliter ꝓximum ſuū. Quia ſm glo. ſuper epl̄a. j. Joh̄. iij. Qui ex odio pſequitur fratrem ſuuꝫ ⁊ ad iram ꝓuocat ꝙ̄tum in ſe eſt ipm̄ in anima occidit. ⁊ talis eſt velut gladius ex vtraq̄ pte ſcindens De quo Ecc̄i. xxj. Quaſi rumphea bis acuta omnis iniquitas. Secundo cōmittitur volūtate homicidiū occidere ꝓponendo. ſicut Eſau quando dixit. Uenient dies luctus pr̄is mei ⁊ occidam fratrem meū. Gen̄. xxvij. Et propter hoc ꝓpoſitum malum non inuenit locum penitentie lꝫ cum lachrymis queſiuiſſet. ad Heb. xij. Tertio in mortem ꝯſentiēdo. ſicut Achab conſenſit in mortē Naboth. iij. Reg. xxj. Uerbo committitur homicidium tripliciter. Primo p̄cipiendo. ſicut Herodes precepit occide
C re pueros. Matth̄. ij. Secundo ad mortē iudicando ordine iuris penitus p̄termiſſo. ſicut fecit Pilatus. Luc̄. xxiij. Nā q² iudex ordine iuris ſuato precipit occidi malefactorē vt iuſticia ſeruetur pro bono ſtatu reipublice nō peccat. Quia dicit Hiero⁹ ſuper Ezech̄. et ponit̄ xxiij. q. v. c. Qui malos. Qui malos inq̄t percutit in eo ꝙ mali ſunt et habet vaſa interfectionis vt occidat peſſimos miniſter dei eſt. Et Auguſ. in queſtionibus leniti. Cum homo iuſte occiditur lex euꝫ occidit non tu. Ex illo autem patet ꝙ miniſter occidens iuſſus a iudice non peccat niſi hoc tam miniſter ꝙ̄ iudex fecerint ex liuore vindicte vl̄ ex delectatione fundendi ſanguinem humanum. vt poteſt deduci ex dictis beati Auguſ. li. j. d̄ libero arbitrio. c. iiij. ⁊ xxiij. q. v. c. Miles. Tertio verbo cōmittitur homicidiuꝫ conſulendo. ſicut Cayphas qui ait. expedit vobis vt vnus moriatur hō ꝓ populo ⁊ non tota gens. Ab illo die cogitauerunt interficere eum. Joh̄. xj. Opere homicidium cōmittitur trib⁹ modis. Primo ad mortem tradendo. ſicut iudas chriſtum. Matth̄. D
xxvj. Secundo neceſſaria indigētibus ſubtrahendo. ſicut faciunt qui frumentis abundāt ⁊ non vendūt nec famis nec alio neceſſario tpe nec erogant paupibus ſed expectant vt vēdāt charius. quod non fecit Joſeph q̄ vēdidit frumenta tempe famis. ꝓpter quod dictus eſt ſaluator mundi. Gen̄. xlj. Ideo dicit ſapiens de vnoquoq̄ talium. Qui abſcondit frumēta maledicetur in populis. benedictio autem ſup caput vendentium. Prouer. xj. Quare etiam dicit Ambro. di. lxxxvj. c. paſce. Paſce dicit̄ fame morienteꝫ. Si non pauiſti occidiſti. de hoc latius ſupius ſermone. xxx. A. Tertio ope cōmittitur homicidium percutiendo. De quo dr̄ Exo. xxj. Qui percuſſerit hominē volens morte occidere morietur. Sub hoc etiā genere includuntur ille matres imiſericordes qui occidunt pueros ſiue ex̄ vteꝝ ſiue in vtero iam viuentes. Sed hic incidētaliter queritur vtꝝ tales pueri ſic a matribus occiſi et non baptizati patientur penā ſenſus? De hoc ſunt due opiniones. Una eſt beati Auguſtini qui vult dicere ꝙ poſt diem iudicij patientur penam ignis licet minutiſſimam. Sicut de hoc deducit Lu-
cidius merkelinus in tractatu ſuo de inſtru- E
ctione ſimpliciuꝫ ſacerdotū. c. lvij. de hac opinione poſui in corpore de ſanctis videlicet de ſancto Jacobo. ſermone. j. tertio principali. Alia eſt opinio mitior q̄ dicit. ꝙ non habēt penam ſenſus. Sed tm̄ damni. de hac opinione eſt Tho. de argentina. in compen. theol. veri. li. vlt̄. vbi dic̄. ꝙ poſt diē iudicij tria loca erūt inhabitata. ſ. celum. infernus. et limbus. ſ. puerorum. et hoc dicit contra illos qui locū medium non ponunt inter celum et infernum. de hac opinione eſt etiam doctor ſubtilis in ſcripto ſuper. ij. ſentētiaꝝ. qui dic̄. ꝙ tales pueri nullam habebūt penam ſenſus exterioris puta ignis. quia nullam delectationem inordinatam habuerunt cui reſpondet acerbitas ignis affligentis nec habebunt penaꝫ interiorem vt triſticiam. quia ſi de ſtatu ſuo triſtarētur inuoluntarie ſuſtinerent ſtatum ſuum ⁊ vellent oppoſitum ⁊ ita murmurarent contra diſpoſitionem diuinam et per conſequens haberent voluntatem inordinatam. quod videtur abſurdū

quia ſententia diuina eſt diſpoſitum ꝙ vbi ce=
ciderit lignum ibi erit.et conſequenter dicit ꝙ
ipſi poſſunt addiſcere multa i ꝓprio genere ſic
et beati. Non enī veriſimile eſt ꝙ eſt in eis im=
pedimentum propter qḋ non poſſunt ſcientiā
acquirere.vnde videtur probabiliter cōceden
dum ꝙ omniū naturaliter cognoſcibilium po
terint habere cognitionē perfectius et excel
lentius ꝙ̄ quicūqȝ philoſophi habuerunt pro
ſtatu ſuo vel iſto. Et ita aliquā beatitudinē na
turalem de deo cognito in vniuerſali poterint
attingere. Sed de cognitione ꝑticulari dei di=
citur vel quod nō dabitur eis.quia eſſet eis ad
triſticiā quā non demeruerunt vel ſi huiuſmo=
di cognitionem habebunt non triſtabūtur . qr
erunt contenti de ſtatu ſuo ſcientes deū ita ḋ
ſe diſpoſuiſſe nec ſuo ſtatu aliquando demeru=
iſſe.hec ille. Sanctus Tho.in ſcripto.ij. ṗnci=
pali.q.ij.dicit.ꝙ pueri illi non habebūt triſti=
ciam de carentia diuine viſionis que nunꝙ̄ de
bebatur eis cū facultatē nature excedat. nec
erant in ſtatu merendi ſicut nullus homo ſapi
ens affligetur ḋ hoc ꝙ non poſſet volare ſicut
auis vel quia non eſſet rex vel imperator cū ſi=
bi nō eſt debitū. Ad idem Richardus in ſcri=
pto tertio.q.ij.dicit ꝙ ipſi ſciūt ex naturalib⁹
deum non poſſe videre .nec ſe habuiſſe vſum li
beri arbitrij per quem ſe diſponere potuiſſent
ad merendum ⁊ ſciunt ſe in perpetuū victuros
et nullam penam ſenſibilem habituros . Et de
iſtorum conſideratione.id eſt. de carentia dei
viſionis non dolent . ſed gaudent de bono qḋ
habent.et plus forte habent de gaudio de bo=
nis creatis ꝙ̄ multi in hac vita q̄ tamen in tali
ſtatu ſemper permanere vellent. Et addit.non
credo tamen q⁹ ṗdicta conſideratio eſſet ſuffi=
ciens cauſa quare nō doleāt niſi adeſſet diuina
ꝓuidentia que ab eis excludit dolorem. Et cō=
cordat doctor ſubtilis in ſcripto ꝙ etiā ex diſ
poſitione diuina erunt iſta corpora impaſſibi=
lia licet non ex dote impaſſibilitatis .ita ꝙ nec
ab intra nec ab extra patientur .et ſicut fames
nullum inordinatum motum ſuſcitauit i eis in
iſta vita.ita nec ibi ſuſcitabit . Et idem doctor
ſubtilis Scotus gloſat v̄ba Auguſ . que dicit
in de fide ad Petrum. Tales pueros eterni ig
nis ſupplicio puniēdos.id ē.ſupplicio illo qḋ
eſt in eterno igne cruciandi ſunt. vel hoc locu=
tus eſt contra hereticos qui omnino peccatū
originale negabant et penam pro illo peccato
⁊ ideo exceſſiue locutus eſt . Et Richardus di
cit eū temperaſſe ſuum modū loquendi i En=
cheridion.xxxiiij.vbi dicit ꝙ pena eorum erit
minutiſſima .vel aliter poteſt dici ſm Richar.
ꝙ Auguſ.accepit hoc ſupplicium ꝓ quacunqȝ
pena eterna ſiue damni ſiue ſenſus . Et ſanct⁹
Tho .in ſcripto ſecundo ṗncipali dicit ꝙ fre=
quenter nomine ignis in ſcriptura quelibet pe
na ſignari cōſueuit nec debet mouere illḋ quē=
ꝙ̄ ꝙ dominus in iudicio non daturus eſt niſi
duas ſententias.vnam.venite benedicti.aliā
ite maledicti. Quia multi impij non reſurgunt
in iudicio.etiam qui non credit iam iudicatus
eſt. Spūale v̄o homicidium multis modis cō=
mittitur. Primo per detractionem.de pe.di.j
c. Homicidiorū.vbi dicit glo.ꝙ detractor di= f
citur homicida.quia priuat animam vita ꝙ̄tū
in ſe eſt dum negat eum habere virtutes.vel il
las minuit quia detrahere eſt bona que alicui
a deo ſunt collata minuere vel negare. Sic de
trahere eſt ſumma iniquitas.vj.q.j.c.ſumma.
Secundo per mali ſuggeſtionē vt dicit beat⁹
Aug⁹ et ponitur vbi ſ̄.c. Noli putare te nō eē
homicidam quādo fratri tuo mala perſuades
dicente pſ̄.lvj. Filij hominū dentes eorum ar
ma ⁊ ſagitte.ideo de diabolo qui ſuggerit om=
ne malū dicit Jeſus ille homicida erat ab ini=
tio. Joh.viij. Quia nō ſolū ſeipſum occidit ſȝ
etiam ſuggeſſit ṗmis parentibus preuaricatio
nem. ⁊ non eſt intelligendū q⁹ diabolus crea
tus eſt malus ſicut quidam dixerunt ex verbo
creatoris ſuperius allegato. Sed ē malus fa=
ctus ſtatim poſt initiū. Et ſic exponit v̄ba ſal
uatoris.li.ij.di.iij.c.iiij. magiſter ſententiarū
Tertio per adulationem. Juxta illud pſ̄.liiij.
Politi ſunt ſermones eius ſuper oleum ⁊ ipſi
ſunt iacula.vbi dicit magiſter i glo .ꝙ vbi nos
habemus ſuꝑ oleum alia littera habet adulan
do. Ideo dicit ꝓpha.cxl . Oleū autē peccato=
ris nō impinguet caput meū. Qḋ v̄bū tractat
beatus Greg⁹ in omel̄.dicens . Impinguat ca
put peccatoris oleum cum demulcet mentem
fauor adulantis. Et magiſter ſuper eodē v̄bo
dicens. Oleum peccatoris.i.falſa laus adula=
toris et ſimulata dilectio que mentes a rigore
veritatis emollit ad noxia non impinguet ca=
put meum.id ē.intentio mea nō delectetur de
adulatione falſaqȝ laude. Et ſubdit.amat ꝗ̄ fi=
delis argui a viro iuſto i miſericordia ⁊ nō lau
dari a peccatore cū irriſio ē habeat ſecū oleū
qḋ ille prudentes ſecū portabant. ⁊ nō querat
oleum peccatoris.hec Greg⁹. Adulatio ē mul
tum vitanda.qr ad modū iude ſub ſpecie oſcu=
li ꝓditionē operatur ⁊ ſub ſpecie amici inter=
ficit.ſicut de Joab ⁊ Amaſa . Nā Joab dixit
ad eū. ſalue mi frater ⁊ tenuit manu dextra mē
tum eius videlȝ amaſe quaſi oſculans eum qui
cum nō aduertiſſet gladium quem habebat io=
ab.ioab percuſſit eū i latere ⁊ effudit inteſtina
eius in terrā ⁊ mortuus eſt.ij. Reg.xx. Et hec

homicidia ꝓhibita ſunt in illo verbo. non occi
H des. Quantum ad ſecuudum ponitur punitio
iracundorum cum dicit. ego aūt dico vobis q̄
cunqꝫ iraſcitur fratri ſuo. Ubi nota. Ariſto. li.
ij. de aīalibus dicit. c. iiij. Abaue eſt animal de
magnitudine quaſi cerui qđ ꝯtra naturaꝫ om=
nium aīalium alioꝝ habet fel in aure ſimile fel
li hominis in colore qđ eſt amarum valde cre=
atiuum vehementis ire. Moraliť hoc animal
ſignificat hominē iracundum. Quia irati ho
mines videntur habere fel in aure. Quia q̄tū=
cūqꝫ cōponat ſe homo viuere cuꝫ eis pacifice
et honeſte rōnabiliterqꝫ loquatur. tñ videť ſꝑ
eis ꝙ ſit aliqualis lis vel iniuria vñ nihil pla=
cet eis perfecte. Hii eni portant fel iracundie
in aure. qꝛ q̄cquid audiunt in amaritudinē cō=
uertunt. Contra quos h̄ dicit dñs. q̄cunqꝫ ira
ſcitur fratri ſuo reus erit iudicio. vbi dicunt q̄
dam. q̄ iraſciť fratri ſuo ſine cauſa. Sꝫ Hiero⁹
dicit ꝙ fruſtra ponitur ibi. quia nulla poteſt eē
cauſa iraſcendi in fratrem. Sed iuſte iraſcitur
aliq̄s culpe fratris. Nam vt dicit Aug⁹. Ira=
ſci fratri vt corrigatur nullus ſane mentis re=
prehendit. Greg⁹. xxxij. moraľ. Si nob ꝛ ꝓxi=
mis delinquētibus iraſcimur non peccamus.
h Si eni ſic ꝓximos vt nos amare p̄cipimur re=
ſtat vt ſic eoꝝ erroꝛib⁹ ſicut noſtris vitijs ira=
ſcamur. Uñ nota ꝙ ira cōmēdatur qua iraſci=
tur vitijs. Juxta illud pš. iiij. Iraſcimini ꝛ no=
lite peccare. Iraſcimini inquit magiſter ī glo.
peccatī imo vobiſipſis de p̄teritis peccatis et
nolite peccare. Cui ꝯcordat Greg⁹ omeľ. vj. ſu
per Ezech. Uere penitēs bene iraſcitur dū ſe=
cū rixatur de his que ſe male geſſiſſe recolit et
ſibijpſi diſplicere incipit. Cū ille placere īcipit
qui illuꝫ creauit. reꝑhendit eni ſe de cogitatio
nibus. inſequiť de v̄bis talibus. punit ſe flēdo
de factis ſupnis inhiat. Oia bona terrena per
mentis deſpectionē calcat. hec ille. Item que=
dam ira tollerať ſicut infirmo ꝛꝫ q̄ eſt ſubita vt
cuꝫ hō ſ̄m carnem iraſcitur nec tñ vult facere
ad qđ ira inducit. Iſta ira tollerať. qꝛ rationē
nō ſupat. de q̄ dř. Nō te ſupet ira vt aliquē op
p̄mas. Job. xxxvj. Quedā v̄o ira vitupatur et
talis eſt oīs ira que rationem ſupat. Cui⁹ ſ̄m
Grego. q̄ttuoꝛ ſunt ğdus. Quidaꝫ eni cito cō
mouenť ad iram et cito redeūt ad tranq̄llitatē
Alij v̄o tarde iraſcuntur ꝛ tarde redeūt. ꝛ iſti
peiores ſunt p̄mis. vt dicit beat⁹ Aug⁹ ī regu=
la. Alij aūt de facili ira accēdunť ꝛ tarde rede=
unt. ꝛ ipſi peiores ſunt oib⁹. Sꝫ alij tarde ira=
ſcuntur. et cito irā deſerūt q̄ inter oēs ſunt mi
nus mali. Item ſunt nōnulli qui non ſolum te=
nent iram in corde. ſed etiā oſtēdūt v̄bis vt q̄
dicit alicui racha aut fatue graui⁹ peccat. Nā

ſ̄m Aug. ꝛ Chryſo. Racha nō eſt vox aliquid
ſignificans. ſed ſolum motū indignātis animi
ſ̄m Hiero. v̄o in glo. eſt hebraicū. et idem ē qđ
cenos grece ꝛ latine inanis ꝛ vacuus. i. abſqꝫ
cerebro nūcupatus ꝙ eſt ꝯtumelia. Qui ergo
hoc dixerit fratri reus cōcilio. id ē. cōſenſu iu=
dicij eſt danda ſententia ꝯtra eum. Alij autem
ꝓcedunt ad v̄ba determinata dicēdo in ira fa=
tue vľ alia conuitia. ꝛ vnuſquiſqꝫ talis erit re=
us gehēne ignis. Quia dicit Chryſo. Indignū
ē hominē dicere fatuū q̄ hꝫ ſe in ſpiritūſanctuꝫ
Quātum ad tertiū ponitur ſatiſfactio iniuria=
toꝝ cuꝫ ſubiungiť. Si offers munus tuū ante
altare ꝛc. Ubi nota. dř notāter. Si offers mu J
nus tuū ante altare. in quo inuitur ꝙ oblatio
debet eſſe volūtaria ꝛ de rōne oblatiōis eſt ꝙ
volūtarie debet fieri ꝛ ſacerdotes non debent
oblationes recipe niſi voluntarie et ſponte of=
ferantur. Iux̄ illud Exo. xxv. Ab oī hoīe q̄ cū
offert vltroneus accipietis eas. ſ. oblationes.
Ad illas tñ oblationes que fiūt in quattuor fe
ſtiuitatibus principalibus. vt in feſto Paſce.
Pentecoſ. aſſumptionis virginis glorioſe. et
natiuitatis xp̄i omnes ſūt aſtricte perſone ſal=
tem cōicantes vt quidam dicūt et ad iſtā ꝯſue
tudinem laudabilē tenendā vbi ſubditi reſiſte=
re vellent ſunt cogendi per ep̄m non per pleba
num. Sicut patet per Innoč. iij. extra đ ſimo.
ad apoſtolicam. vbi dicitur ad apoſtolicaꝫ au
dientiam frequenti relatione peruenit ꝙ qui=
dam clerici pro exequijs mortuorum et bene=
dictione nubentium ꝛ ſimilibus pecuniam ex=
igunt et extorqnent. Et ſi forte eorum cupidi=
tati non fuerit ſatiſfactum impedimenta ficti=
cia fraudulenter opponent. Contra vero qui
dam laici laudabilem conſuetudineꝫ erga ſan=
ctam eccleſiam pro deuotione fidelium intro=
ductam ex feruore heretice prauitatis nitun=
tur infringere ſub pretextu canonice pietatis.
Quapropter has prauas exactiones fieri ꝓ=
hibemus. et pias conſuetudines precipimus
obſeruari ſtatuentes vt libere conferantur ec=
cleſiaſtica ſacramenta. Sed per epiſcopuꝫ lo=
ci veritate cognita compellantur. qui pernici=
oſe nituntur ~~malaꝫ~~ conſuetudinem immutare. bonā
Ex hac decretali habetur ꝙ offertoria quattu=
or dierum predictorum de iure exiguntur ꝛ nō
dantes ea per epiſcopum ad dandum compel
luntur. Et dicunt aliqui ꝙ illud quod ad man=
datum epiſcopi offertur nomen oblationis re
tinet. Nam lꝫ in iſto caſu cogendi ſunt ad obla
tionē vt coacte offerāt tñ oblatio eſt q̄dammō
volūtaria q̄tum ad quātitatem vel ad ſpēꝫ rei
offerende. Ex quo elicitur ꝙ grauiter peccant
ſacerdotes curati qui ſubditum non habenteꝫ

vnum denarium cogunt ad duplum offerendū
Etiā3 deberēt hoſtiatim duos denarios mēdi
care. Et ſi humiliter petit ſupportari allegādo
maximā paupertate3 non meret exaudiri. Jdeo
de illis ſacerdotibus dicit ſapiens. Qui obtu=
rat aures ſuas ad clamorem pauperis. et ipſe
K clamabit ꝛ non exaudietur. Prouer. xxj. Sed
diceres ꝙ omnis xp̄ianus vltra hos quattuor
dies ꝑtactos adhuc tenetur ad altare in miſſa
rum ſolennijs offerre. Quia Greg⁹ papa. vij.
et ponitur de conſe. di. j. omnis. Omnis inq̄t
xp̄ianus ꝓcuret ad miſſarum ſolennia aliquid
deo offerre ꝛ ducere ad memoriā3 qđ domin⁹
per Moyſen dixit Exo. xxiij. Non apparebis
in ↄſpectu meo vacuus. Ad hoc rn̄det Diaco
nus in roſario. ꝙ hoc intelligitur de oblatiōe
interiori vel bonoꝝ operum vel de cōſilio nec
alie oblationes pn̄t de iure peti vt ait Hugo et
Ray. S3 omnibus ꝑcipitur ne vacui. id ē. ſine
oratione vł bonis opibus ad miſſaꝝ ſolennia
accedant. ideo debent deo cum ſumma diligē
tia ꝛ orationes ꝛ bona opera ꝓferre et offerre
vt dicunt doc. exponendo illud Exodi. Jā di=
ctum non apparebis. Et ne ſacerdotes habe=
ant occaſiones cogendi ſubditos. vt quotidia
nas oblationes faciant prouiſum eſt eis đ de=
cimis ꝛ p̄mitijs quas de iure petere pn̄t. vt ex
tra de deci. in multis ca. vbi v̄o decime nō dan
tur. ſicut in multis locis alemanie ꝛ alibi loco
decimaꝝ ſunt eis alia bona quibus viuere va=
leant aſſignata. Si v̄o ſacerdos parochialis
adeo eſſet paup ꝙ non poſſet quotidianis ob=
lationibus ſuſtentari ſubditi tenentur ad ho=
norem dei p̄ncipaliter et cōſequēter ad ſuſtēta
tionem ſacerdotis munera offerre ad altare.
Quia dicit apl's. j. Cor. ix. Nemo cogitur ꝓ=
prijs ſtipendijs militare. Et hoc itellige ſi ſub
diti poſſunt ſibi ſubuenire tenentur ad hoc. Si
v̄o non poſſunt ꝓpter pauptatē non ſunt cogē
di. vt dicit Innoc. S3 poſſet eis ſacerdos ſub
trahere diuina officia ad tp̄s. vt dicit glo. j. q.
j. Super. c. ſacerdos. Et hoc ideo vt neceſſita
tem operib⁹ manuū ſuaꝝ ſibi eo liberius poſ=
ſet acquirere. Exemplo beati Pauli qui ſciuit
artem ſcenofactoriā ꝛ operatus eſt eā3. Act.
xviij. Et laborauit manibus ſuis ne quem gra
uaret. dicit enim. ij. ad Theſſal. iij. Non inqui
eti. i. vagabundi inter vos fuimus neq3 gratis
panem manducauim⁹. ſ. petentes nobis mini=
ſtrari ab aliquo in labore ſcilic3 corporali ꝛ fa
tigatione die ac nocte opantes. ſ. ad acquiren
dum victum noſtrum ne quem veſtꝝ grauare
mus. Et dicit notāter dn̄s in euangelio. Si of=
L fers munus tuum ad altare ꝛ non alienū. quia
ſolūmodo oblationes illorum ſunt recipiende

q̄ de bonis a deo conceſſis et bene acquiſitis
offerūt ad altare vel oblationē impēdūt vt pt3
ex dictꝪ beati Greg. xiiij. q. v. c. Elemoſyna. et
i. c. ſcp̄tū eſt. dr̄. Scriptu3 eſt inq̄t victime im=
pioꝝ abomiabiles deo vota iuſtoꝝ placabilia
Neq3 eni in oīpotentis dei iudicio q̄d ſ3 a quo
detr̄ inſpicitr̄. hinc eſt eni ꝙ ſcriptu3 eſt. Reſpe=
xit de⁹ ad Abel ꝛ ad munera ei⁹. ad Cayn aūt
ꝛ ad munera ei⁹ non reſpexit. Et dicit notanr̄
recordat⁹ fueris. q2 frater tuus h3 aliquid ad
uerſum te. ꝛ hoc p̄t intelligi deo dicēte vel diſſi
dente cui⁹ oblatio nō recipitur niſi fratri recō=
cilietr̄. Sicut patet ex cōcilio carthagineñ. iiij.
ꝛ habetr̄ diſ. cix. c. Oblatiōes. vbi dr̄. Oblatio
nes diſſidentiū fratrū neq3 in ſacrario neq3 in
gazophylatio recipiātur. Et dicit glo. cū odiū
eoꝝ apertū eſt et notoriū. oblationes eoꝝ nō
ſunt recipiende. ꝛ intelligitur de oblationibus
volūtarijs non de decimis et oblationib⁹ debi
tis ꝛ primitijs. Et addit p̄dictū. c. oblationes
ꝙ dona eoꝝ q̄ opprimunt paupes ſimilr̄ ſunt
refutanda. ideo neceſſe eſt illis vt p̄us fratrib⁹
ſuis reconcilietur videlic3 qui odit odium re=
mittendo. Et q̄ oppſſit leſo ſatiſfaciēdo. ꝛ ideo
dicit Chryſo. Si cogitatiōe offendiſti cogitati
one recōcilia. i. redde amorē ꝓ odio qđ aduer
ſus ꝓximū tuū habuiſti. Si v̄bo offendiſti ver=
bis recōcilia ſiue in faciem ſiue poſt tergū. Si
opib⁹ offendiſti opib⁹ reconcilia ꝛ offeras deo
mun⁹ tuū aliter nō recipiet. Quid enim ꝓderit
tua oblatio ſi aduerſū te erexerit ſe tui fratris
corā deo accuſatio. nunq̄d illū ſpernet ꝛ ſe tibi
placabile3 reddet? quaſi diceret. nullo modo.

¶ Dn̄ica ſeptima poſt trinitatꝪ. Sermo p̄mus.

NUnc libera=
ti a pctō ſerui facti eſtis deo. Ad
Roma. vj. Quintilian⁹ in li. ſuo de
clarationū ponit talē caſum. ꝙ q̄dam diues ꝛ M
q̄dam paup erāt vicini hortulis ipoꝝ ↄiūctis
Diues eni in horto ſuo habuit flores pauper
apes. cū aūt inimici eēnt ad inuicē diues ↄq̄ſt⁹
ē flores ſuos diſcerpi ab apib⁹ paupis denun=
ciās paupi vt eas trāſferret. paupere v̄o apes
ſuas nō trāſferēte. diues ille flores ſuos ſper=
ſit veneno. apes v̄o paupis diſcerpētes flores
oēs perierūt. Spūalr̄ paup ille xp̄s ē q̄ adeo
paup fuit ꝙ nō habuit vbi caput ſuū poneret.
Mat. viij. Luc. ix. vbi legitr̄ ꝙ xp̄o dixit q̄dā3.
Sequor te quocūq3 ieris. dixit aūt illi. vulpes
foueas habēt ꝛ volucres celi nidos. fili⁹ autē
hoīs non habet vbi caput ſuum reclinet. ideo
dr̄ in pſ̄. lxxxvij. Paup ſum ego et i laborib⁹